

hale mysterium, passim in V. & N. T. producitur *II. Sam. VII. Esa. XI. 1. Jer. XXIII 6. &c: (6) quia tantum secundum Evangelium*, nim. divinæ revelationis, instituitur, sicut h. l. Paulus disertis verbis affirmat. Argumenta plura prostant in antecedentibus & consequentibus, quæ modo producere nolumus.

21. Si porro formam *Mnemosophias paschalis* secundum artificium, à Paulo monstratum, expendimus, consistit illud, juxta communem praxin Theologicam, in *oratione, meditatione, tentatione*, quæ sunt *artificia Spiritus Sancti* probatissima, quoad omnia vel *Christianæ sapientie, vel Christianæ fidei, vel Christianæ vite*, exercitia, sicut *B. Lutherus ex Psal. CXIX.* copiosissime demonstravit: nam *illa* ponit fundamentum, *ista* mox exponit argumentum, *hec* apponit complementum: *illa* respicit principium, *ista* concernit artificium *hec* parit beneficium; *illa* movet causam, *ista* sistit materiam, *hec* perficit metam; *illa* promovet ortum, *ista* mox efficit statum, *hec* ostendit usum; *illa* *Mnemosophian paschalem* incipit, *ista* dirigit, *hec* perficit.

22. *Orationem* quod attinet, illa maxime dicitur ad *artificium Mnemosophias paschalis* necessaria, sicut passim in *Psalms David*, ad exercitium hujus *Mnemosophias, Orationem, & ardentissima suspiria*, legitur adhibuisse, cujus exemplum, ab ipso Spiritu S. nobis propositum, non absque fructu sequi possumus & debemus. *Maria Magdalena*, pariter resurrectionis nescia, Christi resurgentis tamen cupidissima, preces adhibuit *Job. XX. 15. Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, & ego eum tollam.* Censebat, se cum *hortulano* loqui, sed inscia cum *paschali Domino* loquebatur: *Domini mortui translationem* audire desiderabat, & *paschalem Domini resurrectionem* manifestabat, ac ejus *notitiam* a Jesu resuscitato mox impetrabat: ex mente sua *preces externas* coram *hortulano* recitabat, ut *mortuum Jesum* inveniret, sed ex instinctu *Spiritus S. preces internas & efficaces* in cor *Domini resuscitati* deponerebat, & ad sui *manifestationem* ipsum efficacissimè commovebat. *Verba* loquitur, sed *verborum sensum* nec planius, nec plenius persequitur: Vocat *Jesum Dominum*, qui verè *Dominus mortis, inferni,*